

io decertavimus, intra hosce aggeres manus conseruimus: fortuna amissa, aedes diruta, complanata, supellex in munitio-
nibus sarcendis insumpta, quæ ad vitam sustinendam neces-
saria erant, italicæ militiæ communicata: nostri fere omnes
acriter pugnando in tuendis hisce mœnibus, vobis inspectan-
tibus, occubuere: qui adhuc spiritum trabunt, si ita videat-
ur, usque ad interitum dimicare, atque animam efflare pa-
rati sunt. Tot ærumnis oppressis, parentes senes, uxores im-
belles, innoxia pignora tantum supersunt; horum lacrymas
ficcis oculis aspicere qui possumus, ni omni humanitatis sensu
exuti pene videri velimus? Horum tibi salutem, præstantissi-
me Rector, enixe commendamus; id unum supplices tantum
poscimus, ne verendos patres ab immani hoste ante oculos
nostros interimere, ne efferata militum libidini uxores exponi,
ne e complexibus parvulos filios abripi, atque a salutari
Christi Servatoris religione ad impiam mahumeticam super-
stitionem traduci patiaris. Quid enim vel Senatui Veneto,
vel christianæ reipublicæ proderit, si una cum hujus urbis a-
missione egregiæ fidei civium, atque præclari hujus militiæ ro-
boris jactura fiat? Atqui si, quæ (mibi credite) infelici nos
fato eximendi occasio adest, eam hoc tempore non arripitis,
frustra posthac requiretis. Hostis vel curarum pertæsus, vel
rerumstrarum inscius, ejusmodi condiciones proponit,
quas hoc rerum statu vix exoptare audeamus. Excepto enim
hoc urbis dirutæ ambitu, his stratis mœnibus, atque aggeri-
bus, quibus jam fere potitur, reliqua nobis, vitam, liberos,
bona pollicetur. Fuerit sane invictæ fortitudinis vestræ pro
hac civitate tot adiisse labores, tot iniisse certamina; eminus,
cominusque cum potentissimo hoste depugnasse; immensos illius
conatus qua vi, qua arte sæpius vel fregisse, vel elusisse.
Quidquid bucusque exhaustum est, uni virtuti vestræ tribua-
tur. An spe omni abiecta, cum prope in visceribus Turcæ
hæreant, cum fame, siti, totque incommodis pene consumpta
corpora vix ad arma sustinenda idonea sint, adhuc insisten-
dum vobis esse arbitramini? An non prudentiæ vestræ potius
erit tandem modum tot malis imponere, neque ultro vos ho-
stili ferro maciandos objicere, atque omnium perniciæ, propin-
quum civitatis occasum cumulare? Si qua igitur in animis
mise-